



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 169. Inquisitionis Tribunal in Hispania institutum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. æquitati ac legibus consonum erat. Eo-
A.C. 1478. dem anno per aliam Bullam constitutum
 est, quod in posterum a gravioribus deli-
 ctis tam Ecclesiasticos quam Sæculares
 absolvendi facultas revocata sit, eoquod
*ejusmodi veniæ facilitas clavium auctorita-
 tem in contemptum adducat; & Christi fide-
 les exinde procliviores ad peccandum red-
 dantur, eisque peccandi tribuatur incentivum.*

§. CLXIX.

Inquisitio in Hispaniam introducta.

*Marian. hist.
 Hisp. lib. 4.
 cap. 17.*

*Paul. Suave
 de origine
 inquis.*

Mariana ad hunc annum referendam
 censet primam Inquisitionis institutio-
 nem, seu verius, designationem quorum-
 dam fidei Judicum, quibus in Castellæ Re-
 gno in hæreticos & infideles inquirendi, a-
 nimadvertendique auctoritas tribuebatur.
 Cum enim plures Mauri, atque Judæi ad
 Christi fidem conversi denuo ad Ma-
 hometis atque Judæorum superstitionem
 singulis ferme diebus redirent, & insu-
 per nonnullos etiam Christianos ad suas
 sectas pertraherent, Ferdinandus & Isa-
 bella re comperta huic malo remedium
 opponere nitebantur; unde inquisitionis
 tribunal, quod ab Episcoporum jurisdic-
 ctione haud dependeret, instituebant, ad
 eam prorsus normam, quæ hodie in
 tota Hispania viget. Hoc itaque judi-
 cium primo ibidem ab hisce Principibus
 stabi-

stabilitum fuit ex consilio Cardinalis Pe-
tri Gundiffalvi de Mendoza Hispalensis
Archiepiscopi, & auctoritate summi Pon-
tificis Sixti IV. firmatum. Inde vero ca-
pta Granata, aliisque Maurorum urbibus
illud in omnes hasce recens partas Regio-
nes extendebatur, atque hodiedum etiam
in Siciliae, & Sardiniae Regnis, in Indiis,
& generatim in omnibus Hispaniae Re-
gis Provinciis introductum viget, excepto
Neapolis Regno & Belgio, ubi omnes
toties repetiti instituendae Inquisitionis
conatus semper a populo ad seditionem
concitato, & nudum Inquisitionis nomen
abhorrente elusi fuere, prout evenisse le-
gimus sub Carolo V. Anno Salutis mille-
simo quingentesimo quinquagesimo, &
aliquot post annis regnante Philippo II.
Hispaniarum Rege. Haud injucundum
erit impraesentiarum paucis referre hujus
Inquisitionis originem, modumque, quo
exerceri solet in regionibus, ubi stabi-
lita est.

§. CLXX.

Historia de Origine Inquisitionis.

In primis Ecclesiae saeculis usque ad
Constantini Imperatoris conversionem
nonnisi excommunicationis poena haere-
tici coercebantur, nec aliud quam Epi-
scoporum tribunal tam ad dijudicandas
dogmatum causas, quam ad castigandos
illos,